

Christo velut mamilla Dei pascitur, et lactatur? LANCI. opusc. XIII, l. IV, c. IV.

Si Jacob dixit ad Laban: Modicum habuisti antequam venire ad te, et nunc dives effectus es, benedixitque tibi Deus ad introitum meum; quid non sperabimus ad Christi ingressum? GEN. XXX, 30.

Mithridates, Ponti Rex, cum Mithridaticum medicamentum invenisset, ita sumum corpus per hoc corroboravit, ut, cum postea ad Romanam captivitatem evitandam veneno vitam abrumpere vellet, non potuerit. Quanto magis, qui celestem hanc medicinam frequenter et pie sumet, efficiet, ut mori æternum non possit? S. FRANC. SALES. in *Introduct.* p. 2, c. XX.

Si fractus molliores, et corruptioni præ aliis obnoxii (puta cerasa, poma amœnia, et fraga) facili negotio per totum annum conservantur, si saccharo aut melle condiantur; quanto magis sperandum erit, corda nostra, tametsi fragilia et imbecilla, a peccati corruptione preservantur iri, si ab incorruptibili Carne et Sanguine Filii Dei condita fuerint? Ibid.

Quomadmodum homines, in Paradiso terrestri agentes, secundum corpus mori non poterant, idque vi et efficacia ligni illius vitæ, quod in medio ejus Dominus plantarat; sic spiritualiter idem mori non poterunt, si de fructu hujus SS. Sacramenti, quod est vere arbor vitæ æternæ, gustaverint. Ibidem.

Eucharistia, dulce verbum, vox melliflua ac suavitate plenissima! Etenim interpositis hujus verbi litteris, quid invenis, nisi hoc anagramma: CITHARA JESUS?

Interrogatus quidam pius poeta quid esset *Sacramentum Eucharistiæ*? ingeniose respondit: CHARA CERES MUTATA IN JESUM, quasi dixisset per hoc anagramma: Frumentum cui, apud Ethnicos, præerat Ceres, convertitur, apud Christianos, in carnem Jesu, prolatis SS. Mysterii verbis.

AUCTORES.

Alphonsius Rodr. p. II, de *Exercitio perfectionis*, tr. VII.

Hieremias Drex. in *Rosis lectis*, part. II, cap. VIII. Item, in *Zodiaco*. Symb. III.

Nicolaus Lancizius, opuscul. spiritual. 14, de *Efficacia Eucharistiæ*.

Philippus D'Outreman, in *Pædagogio Christiano*, part. II, cap. XVI.

Joannes Nadasi, in *Anno Eucharistiæ*.

EXAMEN CONSCIENTIÆ.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est seria super actiones suas quotidianas reflexio; ad quam jam olim S. David hortatus est dicens: Irascimini, et nolite peccare; quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

DIVISIO. — Dividitur in *universale* et *particulare*; illud circa omnes diei actiones; hoc circa unam dumtaxat ac particularem materiam, occupatur. RODRIG. p. I, tr. 7.

ACTUS GENERALIS EXAMINIS. — Primus est, *Deo pro acceptis beneficiis gratias agere*; quæ quidem actio, ut S. Bernardus monet, debet esse devotione plenissima et deliciis affluens, ne contingat nobis, ut tanto gravius de ingratitude judicemur, quanto magis accumulatis beneficiis ingrati probemur exiitisse. S. BERN. s. de 4. mod. orandi. Clarius vero, quomodo hæc gratiarum actio fieri debeat, explicat alibi, dum ait: Disce in referendo gratiam non esse tardus aut segnis, disce ad singula dona gratias agere. Diligenter considera, quæ tibi apponuntur, ut nulla videlicet Dei dona debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla. Denique jubemur colligere fragmenta, ne pereant, id est, nec minima beneficia oblivescit. SERM. LI, in *Cent.* Sic enim, ut inquit S. Chrysost. continuam gratiarum actionem Domino poterit exhibere. Hoc maximum est sacrificium. Hæc oblatio perfecta. Hoc fiducia nobis fiet occasio. S. CHRYS. hom. LXXII, ad Pop.

Secundus est, *lumen a Deo petere ad peccata sua cognoscenda et defendenda*. Quod tanto ardentius faciendum est, quanto clarior nobis constat, nos in vitiis alienis lyneæ, in propriis perspicendis talpas esse.

Tertius est, *rationem a se cogitationum, verborum, ac operum exigere*. Quis enim, inquit Hierocles Ethnicus, ita alium alius, atque se commonefacere valeat? Quod enim sui juris est, si naturæ libertate utatur, aliorum consilia facere respuit, cum illis parere non

statuit, at non potest non audire se necessario, quæ intus est ratiocinandi vis. Istam Deus esse voluit, quæ nostri curam gereret, istam duem atque magistram; istam etiam tunc judicem dignorum operum ratio efficit, et factum ab ea judicium completitur, ut sum ipsa calculum adiciat, quidnam in se vel laude, vel reprehensione dignum judicet. *Apud Stobæum*, s. III.

Hinc S. Laurentius Justinianus ait: Quisquis virtutum amator est, sui diligens inquisitor sit. Quo impulsus, quoque affectu ipsius moveatur mens, considerare non negligat. Multi varii sunt interioris animi motus, et ad cognoscendum difficiles. Quid vero potissimum examinandum sit, jam olim Pythagoras discipulos docuit, dum eosdem monuit, ut mane et vespere se de tribus examinarent: quid fecissent? quo pacto fecissent? et quid tandem eorum, quæ facere oportebat, omisissent?

Quartus est, *dolore de peccatis commissis*; quod quiescuntque facit homo, toties Dei Filius inestimabili novæ exultationis suavitate affectus, eadem verba (scilicet: Vidi civitatem sanctam Jerusalem) concinit Deo Patri, uti S. Gertrudis divinitus intellexit. Hinc, teste S. Bernardo, diligit Deus animam, quæ in conspectu ejus et sine intermissione considerat, et sine simulatione dijudicat semetipsam. S. BERN. serm. III, de *Adventu*.

Quintus est, *propositum emendationis concipere*; cum hoc enim, ut eadem S. Gertrudis intellexit, veraciter efficitur homo tabernaculum Dei, in quo tanquam in domo propria habitare dignatur Dominus majestatis, Sponsus animæ amantis.

ACTUS EXAMINIS PARTICULARIS. — Primus est, *mane propositum serium concipere, vitandi aliquem certum defectum, aut virtutem exercendi*; cui proposito non immerito illud Ascetæ applicari potest: Secundum propositum nostrum cursus profectus nostri. LIB. I, c. XIX, § 2, de *Imit. Christi*.

Secundus est, *dolere de lapsu, manu peccatori admota, quoties ceciderit*; electi enim, teste S. Gregorio, culpis suis nunquam sciunt parere, ut possint culpam Judicem placatum invenire. S. GREG. I, I, Mor. c. XVII.

Tertius est, *sub noctem numerum lapsuum examinare*; et sic quodammodo cum S. Job dicere: Quantas habeo iniquitates et peccata? Scelera et delicta mea ostende mihi. JOB. XIII, 23.

Quartus, *diem cum die, hebdomadam cum hebdomada conferre*, uti S. Chrysostomus monuit, dicens: Ne ita simpliciter jejuniarum hebdomadæ prætereant, scrutemur suam quisque conscientiam, et rationem examinemus, et consideremus, quidnam in hæc hebdomada probe actum sit, quid in alia, et quale augmentum fecerimus ad sequentem; quas in nobis affectiones correxerimus? S. CHRYS. hom. XI, in *Gen.* Cujus collectionis fructum alibi ostendit, dum ait: Discamus igitur et vitia nostra recentens, ea tempore corrigamus, et hoc mense unum, alio aliud, et ita subsequenter meliores efficiamur. Sic enim tanquam per gradus ascendentes per scalam Jacob ad cœlum pervenimus. Etenim scælæ illæ mihi per illam visionem paulatim per virtutes ascensum significare videtur, per quam a terra ad cœlum ascendere nobis licet, non gradibus sensibilibus, sed morum incremento et correctione. Idem, hom. LXXXVIII, in *Joan.*

Quintus est, *pœnitentiam sibi pro numero lapsuum injungere*, juxta S. Petri consilium dicentis olim Simoni: Pœnitentiam itaque age ab hæc nequitia, et roga Deum, si forte tibi remittatur hæc cogitatio cordis tui. ACT. VIII, 22. Quod quidem ille de interna potissimum pœnitentia intellexit, merito tamen etiam in hac materia de externa intelligi potest; nam judicis officium est, non tantum accusationes audire, et absolvere, sed etiam damnare, et muletam dicere.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Irascimini, et nolite peccare; quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. PS. IV, 3.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. PS. L, 4.

Meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum. PS. LXXVI, 7.

Ecce constitui te hodie super gentes et regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipas, et ædifices, et plantes. JER. I, 10.

Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti. Revertere, virgo Israel, revertere ad civitates tuas istas. Usquequo defi-

cūs dissolveris, filia vaga. JER. XXXI, 21.

Nunc autem oculus meus videt te (et me); ideo ipse me reprehendo, et ago poenitentiam in favilla et cinere. JOB. XLII, 5.

Super speculam Domini ego sum stans jugiter per diem, et super custodiam meam, stans totis noctibus. IS. XXI, 8.

Confitebor adversum me iniquitatem meam, et Dominus remittet impietatem peccati mei. PS. XXXI, 5.

NECESSITAS. — Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti. JOB. IX, 28.

Per agrum pigri hominis transivi, per vineam viri stulti (seipsum cognoscere et scrutari negligenter) et ecce totum repleverant urtica, et operuerunt superficiem ejus spine, et maceria lapidum destructa erat. PROV. XXIV, 30.

UTILITAS. — Verumtamen vias meas in conspectu ejus arguam, et ipse erit Saluator meus. JOB. XIII, 13.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Discere in eo secundum communis instituti leges tu tibi præesse, et vitam ordinare, et mores componere, et temetipsum judicare; teipsum apud teipsum judicare, sæpe etiam condemnare, nec impunitum dimittere. Sedeat judicans justitia, stet rea, et seipsam accusans conscientia. Nemo te plus diligit, nemo fidelius judicabit. Mane præteritæ noctis fac a temetipso exactionem, et venturæ diei tu tibi indicio cautionem. Vespere præteritæ diei rationem exige, et supervenientis noctis fac indictmentem. S. BERN. s. de Inter. Dom. c. XXXI.

Ece habes codicem, ubi scribas quotidianum expensum. Habeto codicem conscientiam tuam, et scribe quotidiana peccata. Quando accuberis super stratum tuum, profer in medium codicem conscientiam tuam, et reminiscere peccata tua. Dicit in corde tuo: Expendimus diem, o anima, quid boni fecimus, aut quid mali operati sumus? Et si quid boni fecisti, gratias age Deo; si quid mali, de cætero ne facias. S. CHRYS. in Ps. 30.

Reprobatorum esse proprium solet, semper prava agere, et nunquam, quæ egerint, re-

tractare; omne enim, quod faciunt, cæca mente pertranseunt, factumque suum, nisi eum puniti fuerint, non agnoscent. At contra electorum est, actus suos quotidie ab ipso cogitationis fonte discutere, et omne, quod turbidum profluit, ab intimis exsiccare. S. GREG. § 5. Mor.

Optimus ille trapezita est, qui quotidie vesperi lucrum ac detrimentum omnino computat. Quod scire manifestius non potest, nisi horis singulis in tabulis omnia denotet; nam cum calculi singulis horis ponuntur, totius diei ratio clarius postmodum cognoscitur. S. CLM. gr. 5.

Efficiamur secundum præceptum Domini, probabiles trapezita, quorum summa peritia est ac disciplina, probare, quodnam sit aurum purissimum, et ut vulgo dicitur, obryzum, quodve sit minus purgatione ignis excoctum, aëro quoque vilique denario, si pretiosum numisma sub colore auri fulgentis imitetur, prudentissima discretionem non falli; et non solum numismata tyrannorum vultum exprimentia sapienter agnoscere, sed etiam illa, quæ sunt veri Regis quidem imagine insignita, sed non legitime figurata, peritia sagaciore discernere; deinde ne quid illis a legitimo pondere diminutum sit, censura trutinæ diligenter inquirere. Quæ omnia nos quoque debere spiritualiter observare. Evangelicus sermo sub hujus nominis demonstrat exemplo. Cass. Coll. 1. c. XX.

Scrutemur juxta Prophetam, vias nostras, et studia nostra, et in eo se quisque judicet profecisse, non cum invenerit, quod reprehendat, sed cum, quod invenerit, reprehendet. Tunc te non frustra scrutatus es, si rursum opus esse scrutinio advertisti. Et toties te non fefellerit inquisitio tua, quoties iterandum putaveris. Si autem semper hoc, cum opus est, facis, semper facis. S. BERN. s. LVIII. in Cant.

NECESSITAS. — Quis ita ad unguem omnia a se resecavit superflua, ut nihil habere se putet putatione dignum? Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, si vitia putas emortua, et non magis suppressa. Medium denique vitiorum virtus tenet, ac proinde sedula eget non solum putatione, sed et circumcisione. Alioquin verendum, ne circumquaque a lambentibus vel potius a rodentibus vitii, illa, dum necis, paulatim elanguat, aut si supervenerint, suffocetur. Unum in tanto discrimine

consilium est, observare diligenter, et mox, ut renascentium capita apparebunt, prompta severitate succidere. Non potest virtus cum vitii crescere. Ergo ut illa vigeat, ista crescere non sinantur. Tolle superflua, et salubria surgunt; utilitati accedit, quidquid cupiditati demis. Nobis, fratres, putationis semper est tempus, sicut semper est opus. B. BERN. ser. LVIII in Cant.

Nihil est, quod sic quisque debeat cogitare, nisi ut in seipsum oculos conjiciat, se discat, se discutiat, se inspicat, se quaerat et se inveniat, et quod displicet, necet; et quod placet, optet et plantet. S. CHRYS. hom. 1, in Ps. 50.

Sicut non sentimus, quomodo crescant membra, proficit corpus, mutatur species, nigredo capillorum albescit in canis (hæc enim omnia nobis nescientibus aguntur) ita mens nostra per momenta vivendi ipso curarum usu a semetipso permutatur, et non agnoscamus, nisi vigilantia custodia ad interiora nostra residentes profectus nostros quotidie, defectusque pensemus. S. GREG. I. XXV, Mor. c. VII.

Cum indiscussa mens relinquitur, in quodam senio torporis sopitur; quia sui negligens, et propositum robur insensibiliter perdens, a forma prioris fortitudinis, dum nescit, senescit. Ibid.

UTILITAS. — Itaque lectum atque quietem petiturum hoc judicium ineam; idoneum ad hanc rem hoc tempus est, ut consentaneus locus, camera et lectulus, quod Propheta quoque denotavit dicens: Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. Neque res parvas contemne, sed magnas etiam carum rationes repete. Hoc modo magna facilius evitabis delicta. Id si quotidie diligenter facies, terribili futuri Judicis tribunali lætus assistes. S. CHRYS. hom. 43, in Marc.

Hæc fiant singulis diebus, nec prius dormieris, o homo, quam mente versaveris, quæ a te interdum perperam acta sunt, et diæ sequenti eris omnino tardior ad ea ipsa rursus aggredienda. Idem, c. 1, in Ps. 4.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Mane propone, vespere discute mores tuos; qualis hodie fuisti in verbo, opere et cogitatione; quia in his sæpius forte Deum of-

fendisti et proximum. Lib. I, c. XIX, § 4.

Si non continue te vales colligere, saltem interdum, et ad minus semel in die, mane viderelicet aut vespere. Ibid.

In silentio et quiete proficit anima devota. Ibi invenit fluentia lacrymarum, quibus singulis noctibus se lavet et mundet, ut Conditori suo tanto familiarior fiat, quanto longius ab omni seculari tumultu degit. Lib. I, c. XX, § 6.

Vigila super teipsum, excita teipsum, admone teipsum; et quidquid de aliis sit, non negligas teipsum. Lib. I, c. XXV, § 11.

Diligenter examina conscientiam tuam, et pro posse tuo vera et humiliter contritione ac confessione eam munda et clarifica, ita ut nihil grave habeas, quod te remordet. Lib. IV, c. VII, § 1.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

S. Birgittæ quondam Angelus de B. Virgine revelavit, quod ex ejus honestissimis actionibus discabant virgines honeste se gerere, et virginalem pudicitiam suam usque ad mortem firmiter conservare, multiloquium et omnes vanitates fugere, ac omnia opera sua diligenter præmeditatione discutere, et spirituali libramine, æqua lance justissime examinare. LANZCZ, opusc. 3, V. III, 74.

S. David de seipso fatetur: Meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum. PSAL. 74, 6.

Ezechias quoque dixit ad Deum: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. ISAIA, XXXVIII, 13.

S. Climacus testatur, olim antiquos Monachos libellum cingulo appensum habuisse, in quo omnes suas cogitationes annotabant, ut eas noctu facilius cognoscerent, et suo Pastori referrent. S. CLM. grad. IV.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius horis singulis animum colligere consueverat, ac sepositis curis, examine conscientiam urgere. Tum, si vis afferretur, quæ horam ei consuetudini negasset, proxima festinim resarcire. Cum initio conversionis suæ hominum aspectu ad risum

commoveretur, verberibus ipsum depulit, quibus se toties ad numerum afficiebat, quoties vel leviter risisset. Sed et tam constanter postea huic exercitio incubat, ut illo ipso adhuc die, quo mortuus est, omissiones actuum annotarit, uti libellus sub cervicali repertus indicavit. Imo per hoc, et Electionis regulas, ad eam, quam in eo miramur, perfectionem pervenit, Orlandino teste. *Rib. l. V, vita, c. 1.*

S. Franciscus Xaverius eodem prorsus studio fervens, de die sæpius accurata per-
scrutatione intimos animi recessus inspiciebat, et cæteros ad idem faciendum magno-
pere hortabatur, ratus in eo perfecta vite
cardinem verti. *TUNSEL. l. vi, vita, c. vi.*

S. Franciscus Borgias non tantum bis de
die, sed ad exemplum S. Patris singulis sub
diurnis in dieta, cogitata ac facta inqui-
rebat. *Vita, l. IV, c. IV.*

Joannes Berchman aiebat, nullum exa-
mine particulari prestantius esse reme-
dium, aut vitis excidendis, aut virtutibus
acquirendis; unde ipse servabat adamusim
regulas a S. P. Ignatio ad hunc finem tra-
ditas.

Joannes Ortunus usque ad diem, que
mortem præcedebat, idipsum faciebat. *Vita
Balth. Alv. c. xxx.*

Joannes de Cannas reliquit libellum, in
quo a tringinta annis accuratissime anno-
tata erat materia pro examine particulari.
Annus 1596.

EXEMPLA PROFANA.

Sextius consummato die, cum ad noctur-
nam quietem se recipiebat, semper animum
suum quærebat: Quod hodie malum tuum
sanasti? Cui vitio obstitisti? Qua parte me-
iores? *SENECA. l. III, de Ira.*

Seneca quoque de seipso scribit: Utor hac
potestate, et quotidie apud me causam dico.
Cum sublatum e conspectu lumen est, et
continct uxor, moris jam mei conscia, to-
tam diem mecum scrutor, facta ac dicta mea
remetior. Nihil mihi abscondo. Nihil tran-
seo. Quare enim quicquam ex erroribus
meis timeam, cum possim mihi ipsi dicere:
Vide, ne istud amplius facias; nunc tibi
ignosco. *Ibid.*

Cicero etiam eandem consuetudinem ha-
bit, ut ipse de se scribit his verbis: Pytha-
goræorum more exercenda memoriæ gratia,
quid quoque die dixerim, audiverim, ege-

rim, commemoro vesperi. *CICERO. de Senectute.*

Plutarchus pariter de se scribit: Instrue-
bam animum meum, ut qui non minus amet
pietatem, quam Philosophiam, ut primum
paucos dies sacros sine ira transigerem,
velut absque temulentia vinoque, nonaliter,
quam celebrassem Nephalia aut Melisponda,
in quibus vinum attingere, aut luxuri vacare
nefas est; deinde idem faciebam mensem
unum aut duos, paulatim mei ipsius peri-
culum faciens. Sic tempore proficiebam ad
ulteriorem malorum tolerantiam, diligenter
attendens et conservans meipsum. *PLUT.
lib. de Cohibenda Ira.*

Apud Indos sapientes adolescentes antequam
ad mensam admittantur, a magistris
interrogantur, quid boni a primo ortu diei
usque ad occasum fecerint? Ubi varii varia
facta bona recensent; qui autem nihil ejus-
modi dicere potest, impransus ad opus ex-
truditur. *DREX. l. I, Trismeg. c. II.*

Phocylides, Stobæo teste, primus omnium
videtur docuisse, quomodo quotidie seipsum
quisque ad conscientie tribunal citare de-
beat. *Ibid.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut ii, qui coram Regibus
cum bestis congregiuntur, quæcumque for-
tiores robore, vel feritatis rabie conspexerint
diriores, adversus eas primæ congressionis
certamen arripiunt, quibus devictis, reliquas
utpote minus terribiles exitu facilitate proster-
nunt; ita et vitis semper robustioribus
superatis, atque infirmioribus succedenti-
bus, parabitur nobis absque ullo discrimine
perfecta victoria. *CASSIAN. Coll. V, c. XIV.*

Sicut in pecunia non sinis, ut duo dies
prætereant, quin cum famulo rationem ineam,
ne confusionem inductæ oblivio; ita hoc
etiam facit actionibus, singulis diebus ves-
peri ab anima rationem exige, et cogitatio-
nem, que peccavit, condemna, cum velut
in ligno suspende, et torque, et jube, ne am-
plius ea aggrediatur. *S. CHRYS. in Ps. IV.*

Sicut ii, qui cubiculum purgare volunt,
prius sordes per scopas congerunt in unum
cumulum et postea eiciunt; ita per examen
prius peccata colliguntur, ut postea per con-
tritionem vel confessionem ex animo eji-
ciantur. *JAC. ALV. de Adept. Vir. l. III, p. VI,
sect. II, c. IX.*

Sicut medicus humores malignos, quos
ejicere ex corpore cupit, prius per medici-

nam commovet, et tum primum per potio-
nem expellit; ita examen peccata movet,
et quasi a sede sua prius extrahit, quam per
contritionem aut confessionem foras ejiat.
Ibid.

NECESSITAS. — Sicut si infecunda arboris
superiora circumcideris, eadem novos
edente ramusculos, nihil videbis, vel radici-
bus alte tendentibus effecisse; ita nisi radici-
ces vitiorum scrutatus per examen fueris,
sustulerisque, frustra in evellendis vitis la-
borabis. *S. CHRYS. hom. de Malis Avert.*

Sicut vulpes interdum singit se mortuam,
ut aves advolantes capere queat; ita vitia
nostra se mortua simulat, ut facilis iterum
ad ipsa redeamus. *LANSIEZ. Opusc. v, c. 44.*

UTILITAS. — Sicut artifices, dum ea, que
fecerunt, accurate examinant, latentes de-
fectus deprehendunt, totumque opus expo-
nunt; sic per examen occulti animæ defectus
cognoscuntur, ac corriguntur. *Idem, n. 73.*

Sicut homines, dum unam maculam evi-
dentior considerant, manus totas abluunt,
itaque etiam ab aliis sordibus mandatur,
quas alioqui non ablissent; sic anima,
dum per examen graviora delicta deprehendit,
de iis et omnibus aliis dolendo, ab om-
nibus simul mundatur. *S. GERA. Insin. l. III,
c. 49.*

Sicut in domibus, ubi frequens scoparum
usus est, nullæ apparent araneæ; ita, ubi
frequenter examen conscientie adhibetur,
Diabolus laqueos suos extendere vetetur.
BOSIUS, in Virid. tit. eod. c. 4.

Sicut pavimentum, quo sæpius everrunt,
eo parius redditur; ita quo sæpius conscien-
tia per examen purgatur, tanto purior, ten-
erisque efficitur. *Ibid.*

Sicut in Academiis, in quibus sunt fre-
quentiora et severiora examina, plus etiam
in studio litterarum proficitur; ita ubi fre-
quens examinis est usus, major quoque in
studio virtutis profectus reportatur. *Ibidem.*

Sicut mercatores quotidie rationes lucri
et damni exigentes, præ reliquis augent
opes; ita et luera virtutum ii potissimum
augent, qui eorum vel incrementum, vel de-
crementum quotidie examinant. *S. CLM. de
Vita Relig.*

Sicut artifices illi præ reliquis opera per-
fecta efficiunt, et propterea copiosius etiam
laudantur, et præmiantur, qui eadem opera
diligenter ad regulam examinant; ita ii
quoque homines perfectiores plerumque exis-
tunt, qui per hoc examen accuratius disci-

tiunt, quam opera sua divinæ voluntati ac
proprie rationis dictamina sint conformia.
*JAC. ALV. l. III, p. V, s. II, c. VIII, de Adept.
Virt.*

MOTIVA.

Exemplum Dei; qui, teste Moysè, ipsemet
post creatum mundum, vidit et examinavit
cuncta, que fecerat, et erant valde bona.
GEN. I.

Exemplum Ethnicorum; qui, solo rationis
ductu hoc medium vel præcipuum ad
virtutem instrumentum, adhibuerunt.

Necessitas; sicut enim nec discipuli in
scholis debitam diligentiam, nec famuli re-
quisitam fidelitatem, nec artifices necessa-
riam curam adhibent, nisi diligenter ab iis
ratio suo tempore exigatur; ita nisi hoc exa-
men in omnibus actionibus crebro et accur-
rate adhibeatur, nullus in profectu virtutis
ac perfectionis fructus sperandus erit; unde
merito Seneca: Desinet, inquit, ira et mo-
deratior existet, que sciet sibi quotidie ad
Judicem esse veniendum.

Utilitas; tum ad vitiorum extirpationem;
nam licet satius esset, ut ait S. Chrysostomus,
omnino a peccato abstinere, non parvum ta-
men ad salutem momentum est, agnatum
peccatum damnare, et castigare diligenter
conscientiam, utpote cum hoc justificationis
pars sit, et imposterum a peccato areat. *S.
CHRYS. S. Quales duc. uz.* Imo, ut Abbas
Pimenius olim dixit, hæc sola hominis
justitia est, ut semper semetipsum repre-
hendat, et tunc justificabitur, cum sua
peccata condemnat. *ROSVELD. p. 519.*
Tum ad virtutes acquirendas, pro quibus
cudendis, examen officina vocatur, ab aliis
vero cornu copia commodorum, charisma-
tumque spiritualium, que in animam infert.
Tum ad notitiam sui, que omnium scientia-
rum altissima est, et utilissima, compa-
randam.

Æquitas. Quis enim reus, oblata optione,
ut pro Judice vel amicum sui amatissimum,
vel alium valde severum et rigorosum eligat,
non ab illo potius, quam ab hoc judicari
præligeret? Cum ergo Deus idipsum nobis
ipsos prius dijudicemus, quam ab ipso in al-
tera tam rigorose judicemur et corripiamur?

Incuriositas; nam ut sapienter S. Doro-
theus advertit, illud potissimum ut tur-

hemur, in causa est, quod sedulo nosmetipsos non accusamus, nec ea qua debemus diligentia, quarimus nos ipsos privatim arguere. Hinc omnis nostra molestia et afflictio promanat. Hinc est, quod quietem nunquam, et nullibi alibi pacem nanciscimur. Nec id quidem mirum, quandoquidem ore Sanctorum omnium celebratum ac contestatum habemus, nullam præter hanc ad Deum patere viam, nec unquam aliquem vidimus, aut audivimus, qui alia, quam hac ad Deum accesserit via, aut ad quietem pervenire valuerit. S. DONOTI. *Serm. vii.* Eandem jucunditatem paulo aliter explicat Senece, dum ait: Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? Quam tranquillus, altus ac liber, cum aut laudatus est animus, aut admonitus, et speculator sui censorque secretus cognoscit de moribus suis! *SEx. l. III. de Ira c. 36.*

MEDIA.

Ad examen hoc diligenter faciendum.

Estimatio puritatis seu pulchritudinis internæ. Sicut enim virgines hujus mundi pro conservanda et augenda sua pulchritudine corporali assiduo speculis utuntur; ita non minus diligenter hoc examen adhibebit, quisquis vehemens pulchritudinis suæ internæ amator extiterit.

Amor Dei; nam, ut S. Bernardus dixit: Homini Deum amanti vel amare volenti suus semper consulendus est animus. Examinanda conscientia, quid sit, quod in totum vult, et propter quod vult, quidquid aliud vult spiritus vel odit, quidquid contra illud caro concupiscit. *S. BERN. de Vit. Sol. Col. 6.*

Desiderium perfectionis; sic enim non modice incitabitur ad hoc exercitium accurate usurpandum, utpote quod a Patribus Spiritualibus merito inter difficillima media numeratur perfectionem brevi tempore consequendi.

Timor judicii divini; sic enim efficiet, ut hic omnia opera nostra ipsi severe prius discutiamus et judicemus, ne in altera vita in manus severi Judicis Dei incidamus, cum notum sit, quod S. Paulus dixit, si nosmetipsos judicaverimus, non utique judicabimur. *I Cor. II, 31.*

Odium Satanae; sic enim non modice incitabimur ad fraudes illius per examen in-

dagandas, ut contra easdem nos convenienter armare, et feliciter evitare valeamus.

ASCETICA.

Tria sunt, quæ præcipue de Examine conscientia observanda sunt Ascetæ. Primum est, ut magnam estimationem concipiat de illo; quod obtinebit, si perpenderit, hoc medio multos sanctos viros, et præcipue S. Ignatium, præ reliquis usos fuisse ad magnam sanctitatem comparandam; et præterea bene considerarit, quod S. Bernardus de conscientia nostræ dirigendæ necessitate sequentibus verbis insinuavit: Unicusque liber est sua conscientia, et ad hunc librum discutiendum et emendandum omnes alii libri inventi sunt. Anima vero cum de corpore egreditur, nullum alium librum, præter librum conscientia, secum poterit portare, atque in illo cognoscat, quo debeat ire, vel quid debeat recipere. *S. BERN. l. de Consil.*

Alterum est, ut bene percipiat finem et fructum præcipuum, qui per hoc exercitium quaerendus est, et non est alius, quam puritas conscientia, vitæque emendatio, et in tribus præcipue consistit, nempe ut, si hactenus fuerint multi in nobis defectus, post hæc sint pauci; deinceps sint minores; et tandem ut non sint semper iidem; eandem enim culpam iterum, iterumque ac sæpius repetere, magnæ socordiae et negligentia est argumentum. *ROB. q. I, tr. VII.*

Tertium est, ut solidum sciat modum, utrumque hoc examen fructuose peragendi; qui quidem in eo potissimum consistit, ut.

1. Regulas et industrias a S. Ignatio et aliis eum in finem præscriptas accurate observet.
2. Ut in actuali disquisitione plus dolori, et emendationis proposito, quam discussioni et inquisitioni defectuum insistas, cum totus fructus examinis utriusque in morum emendatione consistat, ad quem sine dubio dolor serius et efficax propositum, plus quam omnes aliae industriae conducunt. Addit B. Maria Magdalena de Pazzis Deum sibi complacere in anima viatrice, quæ se conformat per dolorem, quam quæ se conformat per amorem (quamvis dolor, quem sentit anima ex offensis Dei, non possit nasci nisi ex amore, quem habet erga Deum, qui est absolute perfectior dolore) quia per viam doloris plus exercetur anima in amore pro-

ximi, dum alienos defectus deplorat; præterea hic dolor est species Martyrii, quo animæ fiunt similes in cruce pendenti, et dolore suo possunt compati ejus magnis penis, et flere amoris lacrymis ejus passionem. Et cum dolor sit afflictivus, purgat animam a peccatis. Amor est delectabilior, sed cum simus in hoc mundo ut purgemur est magis tempus dolendi et patiendi pro amore Dei nostri, ideoque Deus sibi magis complacet de dolore, quam amore. *Vita, p. IV, c. XXX.*

Ut in hoc exercitio magna cum constantia progrediatur, nec animum abjiciat, etiamsi frequentius in eodem defectus labatur, sed potius in memoriam revocet id, quod S. Gertrudi petenti, ut certum aliquem defectum a se Deus tolleret, idem Dominus respondit, dum dixit: Quare velles, ut ego privarer honore illo, et tu infinite fraudareris præmio, quod lucraris, quotiescumque illum defectum vel similem recognoscens de cætero cavendum proponis? Nam quodcumque aliquis studet pro amore meo defectus suos vincere, tantum mihi exhibet amoris ac fidelitatis, quantum miles aliquis domino suo exhiberet, si strenue in bello contra inimicos se opponens, omnes manu forti viriliter expugnaret ac prosterneret. *Lib. III, Insinuat. c. XXXVIII.*

CONCEPTUS PRÆDICABLES.

Ex occasione thematis: « Elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, et misit eos in peram; » *I REG. XXVII, 40.*

Potest peccatum Goliatho, examen autem quinque punctis constans quinque lapidibus de torrente (id est, fonte lacrymarum) collectis comparari, et ostendi, quod, licet peccatum, perinde ut Goliath, aspectu terribile et quodammodo insuperabile appareat, possit tamen non difficulter per hos quinque lapides superari, uti de facto jam a pluribus superatum est.

Ex occasione thematis: « Ecce constitui te hodie super Gentes et Regna (id est, te ipsum et passiones tuas) ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes; » *JER. I, 10.*

Potest finis examinis copiosius explicari, et, 1. Quidem ostendi, quod debeat destruere aliqua peccata, ut non tam multa sint; dein disperdere illa, quæ remanent, ut non

tam gravia sint; et tandem dissipare illa, ut non eadem semper recurrant. 2. Quod debeat evellere, id est, radices etiam excindere, uti sapienter monuit S. Dorotheus his verbis: Certamen primum sit adversus malos mores et vitia, causasque eorum, quæ radices sunt. Quas sane radices nisi quisque exciderit, tandem exrescunt. *S. DOROTH. S. XII, 3.* Quod ædificare et plantare virtutes vitiorum loco debeat, id quod examinis particularis adminiculi præcipue obtinetur.

Ex occasione thematis: « Consideravit semitas domus; » *PROV. XXXI, 27.*

Potest narrari historia de divite, qui, quia nullam curam domus habuit, ad summam prope egestatem reductus est. Unde vicinus ejus hoc advertens, promisit illi, se medium oblaturum, quo brevi antiquas opes recuperare possit, si diligenter eo uti velit. Annuenti ilaque pyxidem obtulit, eo pacto, ut in omnes quotidie domus partes circumferret, non tamen prius aperiret, quam ipse facultatem dedisset. Cum ergo secutus fuisset consilium, et quia in omni loco pessime rem familiarem administrari advertens, in meliorem omnia ordinem reduxisset, brevi etiam divitiis iterum augeri sensit. Quare putans eam virtutem a pyxide provenire, aperuit, et hæc verba in scheda descripta invenit:

Fortuna studio et diligentia Conservatur et augetur bona.

Hæc historia applicetur illis, qui examinis quotidiani usum negligunt, suadeturque, ut simili modo pyxidem hanc in omnes diei actiones circumferant, nec dubitent, quin majorem etiam in perfectione Christiana progressum sint sortituri.

Ex occasione thematis: « Ne pugnetis contra minimum, aut contra maximum, nisi contra solum Regem Israel; » *2 PAR. XVIII, 30.*

Potest ostendi modus, vitia sua per examen particulare oppugnandi, ut, scilicet 1. Contra unum duntaxat pugnetur, exemplo Horatii, qui contra tres Curiatios pugnavit fugam simulavit, et dum hæc ratione effecit, ut ob inæquales vires inæqualiter quoque ipsum cursu sequerentur, subito se convertens, et contra singulos pugnavit facile victoriam obtinuit. 2. Ut contra Regem pugnetur, id est, illud vitium, quod est caput cæterorum; sic enim devicto Rege etiam reliqua facilius vincuntur, nam, ut Abbas Serapion ait, impossibile est, eum, qui pro sui

cordis mundatione sollicitus, erga impugnationem vitii ejuslibet intentionem suam mentis armaverit, adversus cætera quoque vitia generalem quemdam horrorem, et custodiam similem non habere. CASSIAN. *Col. 5.* c. XIV.

MISCELLANEA.

QUALITAS.— Non male Seneca: Videamus, ait, quid sit, quod nos maxime concitet. Alium verborum, alium rerum contumeliæ movent. Hic vult nobilitati suæ, hic fame parci, etc. Non omnes ab eadem parte feriuntur. Scire itaque oportet, quid in se imbecillum sit, ut id maxime protegas. SEN. *l. X. de Ira*, c. III.

Et alibi: Initium salutis est notitia peccati. Egregie mihi hoc dixisse videtur Epicurus: Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequam emendes. Ideo, quantum potes, teipsum coargue, inquire in te, accusatoris primum partibus fungere, deinde iudicis, novissime deprecatoris, aliquando te offende. Idem, ep. XXVIII, *ad Luc.*

Et iterum: Quid autem tecum loquaris? Quod homines de aliis libentissime dicunt, de te apud te male existima. Assuesce et dicere verum, et audire, præsertim a te ipso. Id autem maxime tracta, quod esse infirmissimum senties. Idem, ep. LXXVIII.

Apud Ægyptios Thebas Memnonis statua videbatur e nigro lapide ad ortum solis conversa, quæ imberbem adolescentem referebat, ambabus manibus sic sedi innitentem, ut surgere velle videretur; sed et os sic conformatum habentem, ut jamjam locuturus crederetur; huic statuae similes sunt, qui conscientiam examinant, sed absque serio dolore et fructu. DREX. in *Trism.* l. I. c. VIII. §. 12.

Ruth Moabitibus collegit in agro usque ad vesperam, et quæ collegerat, virga cædens et exentiens, invenit hordei tres modios. RUTH. c. II, 17. Idem a nobis per examen faciendum. Quid enim est frumentum virga cædere, inquit S. Gregorius, nisi rectitudine iudicii a vitiorum paleis virtutum grana separare?

NECESSITAS.— Hoc nos pessimos facit, inquit Seneca, quod nemo vitam suam respicit. Quid facturi simus, cogitamus, et id raro; quid fecerimus, non cogitamus. Atqui consilium futuri ex præterito venit. SEN. ep. LXXXV.

Ephratæi a Galaaditis interrogati, qui essent, et vocem Schibboleth, hoc est, quia granis plena, proferre jussi, quia Schibboleth, id est, culmus grano vacuus, pro Schibboleth dixerunt, pro hostibus agniti et jugulati sunt. Idem multis in iudicio extremo eveniet. JUD. XII, 6.

AUCTORES.

Joannes Busæus, in *Viridario*, Verb. Conscientiæ Examen.

Alphonsus Rodriguez, p. 4. tr. 7.

Jeremias Drexelius, in *Trimegistro*, l. I.

Jacobus Alvarez, *de Adepti. Virt.* l. III, p. 5, sect. II, c. VIII et seq.

Matthias Faber, con. 6. in *Dom. ix, post. Pent.*

Antonius Daurontius, in *Catech. histor.* c. v, tit. 49.

Philippus D'Outreman, in *Pædag. Christiano*, p. 2, c. XIII.

EXEMPLUM.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO.— Est factum aliquod ad imitationem aliis propositum; si enim in occulto et absque arbitro aliquid fiat, aut admiratione potius, quam imitatione sit dignum, exemplum dici non potest.

DIVISIO.— Dividitur in *Bonum et Malum*; illud ad bonas actiones imitandas alliecit; hoc ad peccata perpetranda incitat, et plerumque scandalum a doctoribus vocatur.

ACTUS.— Primus est, *solo facto ad imitationem allicere*; quo modo seniores coram junioribus peccantes, exemplum malum dare dicuntur.

Secundus, *etiam verbis ad imitationem allicere*; quo modo Abimelech suis exemplum dedit, dicens: Quod me vidistis facere, cito facite. JUD. IX, 84.

Tertius, *etiam minis vel premiis ad imitationem allicere*; quo modo Tyranni olim Christianos ad fidem deserendam impulerunt.

EX. S. SCRIPTURÆ.

QUALITAS.— Sint lumbi vestri acincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. LUC. XII, 35.

Nemo accendit lucernam, et ponit eam in abscondito, neque sub modio, sed super candelabrum, ut, qui ingrediuntur, lumen videant. IB. c. XI, 33.

Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad edificationem. ROM. XV, 2.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. MATTH. V, 16.

In omnibus præbe teipsum exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile. TIT. 2, 7.

Exemplum esto fidelium in verbo et conversatione, in charitate, in fide, in castitate, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. I TIM. IV, 12.

Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. JAC. III, 13.

NECESSITAS.— Conversationem vestram inter Gentes habentes bonam, ut in eo, quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum. I PETER. II, 12.

Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. II COR. VI, 3.

UTILITAS.— Quod, cum vidissem, posui in corde meo, et exemplo didici disciplinam. PROV. XXIV, 32.

Scio enim promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones; quoniam et Achaia parata est ab anno præterito, et vestra æmulatio provocavit plurimos. II COR. IX, 2.

Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum inuentes exitum conversationis, imitami fidem. HEBR. XIII, 7.

Exemplum accipite, fratres, laboris et patientiæ, Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Suffrentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est et miserator. JACOB. V, 10.

EXEMPLUM MALUM.— Vae homini illi, per quem scandalum venit. Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. MATTH. XVIII, 6 et 7.

Peccantes in fratres, et percutientes conscientiam ipsorum infirmam, in Christum peccatis. I COR. VIII, 12.

Noli cibo tuo perdere illum, pro dio

Christus mortuus est. Noli destruerere opus Dei. ROM. XIV, 15 et 20.

Ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. IB. 13.

EX. SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS.— Domus Episcopi et conversatio quasi in speculo posita, Magistra est publicæ disciplinæ. Quidquid fecerit, id sibi omnes faciendum putant. S. HIER. in *epist. ad Heliod.*

Qui in occulto bene vivit, sed alieno profectu minime proficit, carbo est; qui vero in imitatione sanctitatis positus, lumen rectitudinis ex se multis demonstrat, lampas est, quia sibi ardet, et aliis luceat. S. GREG. hom. v, *sup. Ezech.*

Sic sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut et de bono opere proximis præbeamus exemplum; et tamen per intentionem, qua soli Deo placere querimus, semper optemus secretum. Idem, hom. XI.

Nullum ego consilium melius arbitror quam si exemplo tuo fratrem docere studeas, quæ oporteat fieri, provocans eum ad meliora, et consulens ei neque verbo, neque lingua, sed opere et veritate. Idem, l. X, *Mor.*

Noveris hujus trinitatis sacramentum in nullo frustratum a te, si pasceas verbo, pasceas exemplo, pasceas orationum suffragio. S. BERN. in *Epist.*

Pulcherrimus ordo est et saluberrimus, ut onus, quod portandum imponis, tu portes, et ex te dicas, qualiter oporteat aliis moderari. Idem, in ep. LXXII.

Propterea Sanctorum vitam et conversationem in divinis Scripturis præscriptam Spiritus Sancti gratia reliquit, ut discentes, quod, licet ejusdem fuerint nature, virtutibus tamen studerint, ne simus nos ignavi, et desides in iidem exercitiis. S. CARYS. s. 11. *sup. Gen.*

Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam et latro potest. Sacerdotis os, mens manusque concordent. S. HIER. *epist. ad Nepot.*

Debemus pensare, quod a Domino Sanctis Apostolis dicitur, et per Apostolos nobis: Vos estis sal terræ, si igitur sal sumus, condire mentes fidelium debemus, ut, quisquoque Saertjungitur, quasi e salis tactu